
VICIPÆDIA

Lingua Sanscrita



Lingua Sanscrita[1] est lingua Indoeuropaea, familiae Indoiranicae attribuenda et divisioni Indicae sive Indoaryanae antiquissima; hodierni enim sermones Indoiranici, inter quos Hindicus et Bengalicus, e Sanscrita oriuntur. Haec lingua, etiamnunc a nonnullis adhibita, una est e duabus et viginti sermonibus Indiae schedulo enumeratis, unaque ex quattuor "linguarum classicarum" hucusque a gubernatione Indica laureatarum. E scriptoribus litterarum Sanscritarum enumerari merent poëta Kālidāsa et grammaticus Pāṇini; sed opera maxima nominibus auctorum incertis et fortasse fictis traduntur, exempli gratia carmina epica *Mahābhārata* et *Rāmāyaṇa* necnon collectanea lyrica antiquissima *Ṛgveda*, *Sāmaveda*, *Yajurveda* et *Atharvaveda*. Lingua Sanscrita hodie characteribus devanagari saepius conscribitur et divulgatur, sed etiam in multis aliis scripturis, in India et Asia Meridiorientali adhibitis, quae e scriptura antiqua Brahmi orta sunt. Et abecedario Latino philologi Europaei et Americani utuntur, transliterationem "IAST" consecuti.

Lingua Sanscrita संस्कृत	
Taxinomia:	lingua Indoeuropaea e familia Indoiranica
Status:	status fere antiquissimus linguarum Indicarum; parens proxima multarum recentiorum
Sigla:	1 sa, 2 san, 3 san
Usus	
Aevum:	saec. X a.C.n. (fortasse antea) – saec. IV p.C.n.
Situs:	India septentrionalis hodie lingua culturalis; officialis Indiae; lingua sollemnis Hinduismi
Litterae:	Litterae Sanscritae
Scriptura:	Devanagari aliaeque scripturae fere omnes Asiae meridionalis



Familiae linguisticae coloribus Vicipaedicis pictae

Index

Lingua oralis

Lingua Sanscrita (Vedica et classica) per longum spatium temporis numquam scribebatur, sed exstabat et solum memoriae tradebatur, et Vedae partim, antequam Arii Indiam ingressi sunt, compositi sunt. Fuit lingua culta a grege doctorum virorum, quibus nomen Sanscrite *pandita*, inde ab aetate antiqua usque ad dies nostros. Opera maximi momenti hac lingua composita sunt (sed serius exarata) aetate qua vulgus ea non iam loquebatur (fortasse periodo Vedica excepta).

Historia

Origo explicatioque

Lingua Sanscrita membrum generis linguarum Indo-Iranicarum ex familia linguarum Indo-Europearum est. Linguae cognatae quibus proxima est sunt illae Iranicae Avestan et Persica Vetus.

Multi scholastici proposuerunt hypotheses migrationis ad qualitates Sanscritae et multis aliis linguis Indo-Europaeis communes explicandas, locutores nativos linguae Sanscritae futurae in hodiernam Indiam et Pakistan ex septentrione occidentali aliqua tempestate recentis secundi millennii AD advenisse adfirmantes. Indicia ad talem theoriam defendendam sunt, inter alia, relatio propinqua inter linguas Indo-Iranicas et linguas Balticasque Slavicasque, commercium vocabulorum cum linguis Uralicis - quae non sunt Indo-Europeanae -, et natura verborum Indo-Europeorum quibus floraque animaliaque videntur olim denotari.

Textus recentissimi linguae Sanscritae videntur textus Brahmanici Rigvedae esse, qui creduntur permansisse ex medio secundi millenii AD. Nullus narratus scriptus attamen habitus ex ea tempestate antiqua est, etiamsi scriptura ad Sanscritam scribendam ea tempestate adfuisset. Scholastici nihilominus adcredunt transmissionem textuum supra dictorum oralem fidam esse. Hi texti erant litterae sollemnes, integritas quorum pronuntiatus ad pietatem exsequendam valde intererat.


Ex Rigveda usque ad Pāṇini tempestatem (Quarti saeculi AD), explicatio recentis linguae Vedicae per alios textus Vedicos perspici potest: Samaveda, Yajurveda, Atharvaveda, Brahmana, Upanishadque. Etiamsi in hoc tempore, linguae fama, utilitas, pietasque, atque molimentum enunciationis rectae inhibuissent Sanscritam linguam facile mutari secundum processus normales mutationis linguisticae, explicatio linguae quinque graduum ex Rigveda ad Upanishadan et recentissimas Sutrah (e.g., Baudhayana) praestat.

Hodie

Idem ac lingua Latina, lingua Sanscrita adhuc hodie longe lateque usurpatur velut lingua viva; non solum extant commentaria, emissiones radiophonicae, et universitates studiorum quae eam colant, sed Unio Indiana eam constitutione inter linguas nationum agnovit, quarum sunt viginti duae (vide Index linguarum sollemnium Indiae). Omnes chartae nummariae inscriptiones habent his viginti duabus linguis, Sanscrita addita.[2] Census anno 1991 habitus numeravit 49 736 hominum quibus patrius sermo est Sanscritus.[3]

Nam cum lingua Sanscrita sit sacra Hinduistis, quidam parentes eam usurpant loquendo cum liberis. Quod ad circulos vel institutiones linguae Sanscritae vivae attinet, unam saltem laudare sufficit, cui nomen est Samskrita Bharati[4] qui commentarium vulgat, cui index *Sambhasanah sandeśah* est. Quanto lingua Sanscrita simillima sit Graecae linguae, Latinaeque aliisque linguis Indoeuropaeis clarissime patet cum paucis verbis oculos intendamus:

Familia							
mātṛ	pitṛ	duhitṛ	sūnu	bhrātṛ	svāsṛ	śvaśura	vidhavā
māter	pater	filia (daughter/θυγάτηρ)	filius (son)	frāter	soror	socer	vidua



Rigveda manuscriptionis in Devanagari, tempore saeculo 19.

Corpus					
danta	nāsā	pāda	kara	keśa	hṛd/hṛdaya
dent-	nasus	ped-	manus, hir (graece χείρ)	capillus (caesaries)	cor (gen.cordis) (heart,Herz)

संस्कृतम्

Verbum 'lingua Sanscrita' (संस्कृतम्) in Devanagari scripta.

Dei		
deva	Dyauh-pitṛ	Varuna
deus	Iup-piter	Οὐρανός

Pronomina					
aham	mā	tvam	tvā	nas	vas
ego	mē	tu	tē	nos	vos

Numeri										
eka	dva	tri	catur	pañca	ṣaṣ	sapta	aṣṭa	nava	daśa	śatam
unus	duo	tres	quattuor	quinque	sex	septem	octo	novem	decem	centum

Verbum *sum*					
asmi	asi	asti	smas	sthas	santi
sum	es	est	sumus	estis	sunt

et alia.

Morphologia

Verbum

Lingua Sanscrita multas declinationis ac coniugationis formas possidet. E. g., systema verbi Sanscritici ex his constat:

- personae tres (*bharā-mi* "fero" vs. *bhara-si* "fers" vs. *bhara-ti* "fert")
- numeri tres(*bhara-ti* "fert" vs. *bharā-mas* "ambo ferimus" vs. *bhara-tha* "fertis")
- verbi genera duo (activum, sanscrite: **Parasmaipada** vs. mediopassivum, sanscrite: **Ātmanepada**; *bharā-mas* "ferimus" vs. *bharā-mahe* "ferimur")
- modi tres (vel, exnumerando altero, quattuor)(Indicativus, Optativus, e. g., *bhavem* "feram", Imperativus, e. g. *bhara-tu* "ferto" et Precativus)
- tempora (praesens et imperfectum, perfectum, aoristus, conditionalis, futurum)

Textus exempli

Commentatione prima Universae Iurum Humanorum Declaratio (a Consociatione Nationum) cum translitteratione Latina:

> सर्वे मानवाः स्वतन्त्राः समुत्पन्नाः वर्तन्ते अपि च, गौरवदृशा अधिकारदृशा च समानाः एव वर्तन्ते । एते सर्वे चेतना-तर्क-शक्तिभ्यां सुसम्पन्नाः सन्ति । अपि च, सर्वेऽपि बन्धुत्व-भावनया परस्परं व्यवहरन्तु ।
>
> *Sarvē mānavāḥ svatantrāḥ samutpannāḥ vartantē api ca, gauravadr̥śā adhikāradr̥śā ca samānāḥ ēva vartantē. Ētē sarvē cētanā-tarka-śaktibhyāṁ susampannāḥ santi. Api ca, sarvē'pi bandhutva-bhāvanayā parasparaṁvyavaharantu*.
>
> > Translatus Sanscrite ab Arvind Iyengar. E situ *Omniglot* (http://www.omniglot.com/writing/sanskrit.htm).
>
> Omnes homines dignitate et iure liberi et pares nascuntur, rationis et conscientiae participes sunt, quibus inter se concordiae studio est agendum.
>
> > E situ *United Nations Human Rights - Office of the High Commissioner for Human Rights* (http://ohchr.org/EN/UDHR/Pages/Language.aspx?LangID=ltn).

Nexus interni

- Sanscritismus

Notae

1. Christianus Lassen, *Institutiones linguae Pracriticae* (Bonnae, 1837) (Textus (https://books.google.com/books?id=L0gMAAAAYAAJ) apud *Google Books*) pp. 31-36, al.
2. Chartae nummariae Europaeae duas habent voces, EURO Graecis Latinisque typis. Si volumus *euro, euronis* accipere, affirmare possumus linguam Latinam quoque inscriptionem chartas nostras habere!
3. (Fons) (http://www.ciil.org/languages/indian.html).
4. (Fons). (http://www.samskrita-bharati.org)

Bibliographia

- Burrow, T., *The Sanskrit language.* Londinii: Faber, 1973. Reimpressum Calcuttae: Motilal Banarsidass, 2001 ISBN 81-208-1767-2
- Pollock, Sheldon I. (2006), *The language of the gods in the world of men: Sanskrit, culture, and power in premodern India.* University of California Press, ISBN 9780520245006.

- Salomon, Richard. 1998/ *Indian epigraphy: a guide to the study of inscriptions in Sanskrit, Prakrit, and the other Indo-Aryan languages.* Novi Eboraci: Oxford University Press, ISBN 0195099842.
- van Gulik, Robert. 1956. *Siddham; an essay on the history of Sanskrit studies in China and Japan.* Nagpur: International Academy of Indian Culture, ISBN 8177420380.

Res philologicae

- Abhyankar, Kashinath V. (1986), *A dictionary of Sanskrit Grammar.* Gaekwad's Oriental Series, 134, Baroda: Oriental Institute
- Bopp, Franciscus. *Grammatica critica Linguae Sanscritae*. 1832 **(Latine)** Textus apud google.books (http://books.google.com/books?id=aQEUAAAAYAAJ)
- Franciscus Bopp, *Ausführliches Lehrgebäude der Sanskrita-Sprache*. Berolini, 1828 **(Theodisce)** Textus interretialis (http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bopp1827)
- Berthold Delbrück. 1876. *Altindische Tempuslehre.* ISBN 1421246880.
- Berthold Delbrück. 1888. *Altindische Syntax.* Halle. Nachdruck: Wissenschaftliche Buchgesellschaft, Darmstadt 1988, ISBN 3534041054.
- Masica, Colin. 1991. *The Indo-Aryan Languages.* Cantabrigiae: Cambridge University Press, ISBN 978052129944-2.
- Mayrhofer, Manfred. 1978. *Sanskrit-Grammatik mit sprachvergleichenden Erläuterungen.* Berolini: Walter de Gruyter. ISBN 9783110071771.
- Oberlies, Thomas. 2003. *A Grammar of Epic Sanskrit.* Walter de Gruyter. ISBN 3110144484.
- Wackernagel, Jacob, et Albert Debrunner. *Altindische Grammatik*. 3 voll. Goettingae, 1896-1954

Lexica

- Mayrhofer, Manfred. 2001. *Etymologisches Wörterbuch des Altindoarischen.* 3 vol. ISBN 3-8253-1477-4.
- Monier-Williams, Monier. 1898. *A Sanskrit-English Dictionary.*
- Mylius, Klaus. 2005. *Sanskrit–Deutsch, Deutsch–Sankrit: Wörterbuch.* Wiesbaden: Harrassowitz. ISBN 3-447-05143-4.

Artes grammaticae

- Bartholomaeus, Paulus. *Vyacarana* (1904) Textus apud archive.org (http://www.archive.org/details/vycaranaseulocu00bartgoog)
- Coulson, M. 2003. *Teach Yourself Sanskrit.* Londinii: Teach Yourself, ISBN 0-340-85990-3
- Goldman, Robert P. 1999. *Devavāṇīpraveśikā: An Introduction to the Sanskrit Language.* Berkeley: Center for South Asia Studies, University of California, ISBN 0-944613-40-3.
- Kielhorn, Franz. 1888. *Grammatik der Sanskrit-Sprache.* Berolini: Dümmler.
- Maurer, Walter Harding. 2000. *The Sanskrit Language: An Introductory Grammar and Reader.* Richmond, Surrey: Curzon Press, ISBN 0700713824.
- Morgenroth, Wolfgang. 1973. *Lehrbuch des Sanskrit: Grammatik, Lektionen, Glossar.* Lipsiae: Verlag Enzyklopädie
- Shastri, Vagish. 2000. *Conversational Sanskrit.* Varanasi: Vāgyoga Chetanāpitham, ISBN 81-85570-12-4.
- Stenzler, Adolf Friedrich. *Elementarbuch der Sanskrit-Sprache.* Zahlreiche Auflagen (Die 7. Auflage 1902, und auch die 9. Auflage 1915 **(Theodisce)** Textus interretialis (http://www.sanskritweb.net/deutsch/#BUECHER)

- Stiehl, Ulrich. *Sanskrit-Kompendium. Ein Lehr-, Übungs- und Nachschlagewerk.* Devanagari-Ausgabe. 4. überarbeitete und erweiterte Auflage. Hüthig Jehle Rehm, Heidelberg 2007, ISBN 978-3-87081-539-4 Textus interretialis (http://www.sanskritweb.net/deutsch/)
- Whitney, William Dwight. 1889. *Sanskrit Grammar: Including both the Classical Language and the Older Dialects.* Breitkopf & Härtel
- Williams, Monier. 1846. *An elementary grammar of the Sanscrit language*. Londinii: W. H. Allen. **(Anglice)** (Textus (https://books.google.com/books?id=REQhAAAAMAAJ) apud *Google Books*)

Nexus externi

Vicimedia Communia plura habent quae ad **linguam Sanscritam** spectant.

- Lexicon Anglicum-Sanscritum et vice versa apud *spokensanskrit.de dictionary* (http://spokensanskrit.de/)
- Lingua Sanscita (http://www.omniglot.com/writing/sanskrit.htm) apud encyclopaedia Omniglot (http://www.omniglot.com/)
- Index litterarum Sanscritarum in interrete repertarum (http://sanskritdocuments.org/TextsElsewhere.html)
- Numeri Sanscrite (http://veda.wikidot.com/sanskrit-numbers) apud Vicipaedia *Veda* (http://veda.wikidot.com/)